DISSERTATIO LEGALIS
DE
ALLUVIONIBUS,

QUAM
Sacroſancti Numinis aurâ feliciter aſpirante
SUB PRÆSIDIO
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CLARISSIMIQ,
DN. JO. SEBASTIANI GAMBSII,
U. J. D. Celeberrimi, & in incluta Argentoratenſium Academia Inſtitutionum Imperialium Profeſſoris Publici, Fautoris, Formatoris ætatem devenerandi,
Exercitii gratiâ defendere conabitur
VALENTINUS Bart/
Colmaria-Alſatus.
Die 19 *Menſis Ju.*
Horâ locoq; ſolitis.

ARGENTORATI.
Typis Hæredum JACOBI THILONIS,
ANNO CIↃ. IↃC. LVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, DOCTISSIMIS,
PRUDENTISSIMISQUE

DN. JOHANNI HENRICO MOGGIO,
JCto, Inclutæ Reip. Imperialis Colmarienſis p. t. Prætori graviſſimo.

DN. JOH. BALTHASARO SCHNEIDERO,
Præfecto Oppidi S. Crucis & Syndico Reip. Colmarienſis de eadem meritiſſimo.

DN. ANDREÆ SANTHERRIO,
DN. JEREMIÆ TROMERO,
DN. LUDOVICO Bart/
} Senatus Reip. Patriæ Aſſeſſoribus Spectatiſſimis.

Dominis ac Mecœnatibus ſuis benigniſſimis,
Cognatis plurimum honorandis,
Parenti omni obſervantiâ colendo,

Haſce Studiorum ſuorum primitias,

Ut ſpem de eo ejusq; ſtudiis, ſi forte habuerunt exiguam, meliorem capiant

conſcriptas

in debitæ Reverentiæ teſtimonium

conſecratas eſſe vult

Humillimus Cliens, Obſervantiſſimus Filius

VALENTINUS Bart/
A. & R.

I. N. D. N. I. C.

Theſis I.

QUoniam ad exactiorem ſpecierum cognitionem ex monito JCti Ulpiani *in l. 1. ff. de reb. cred.* cognitio generis præcedat, oportet: & niſi, ut loquitur Philoſophus, ταυτολογικῶς, idem ſæpe velimus dicere, ab Univerſalibus (univerſale autem hic ſumitur non pro quavis re includente plura, ſed Logicè pro conceptu communi, qui de pluribus inferioribus tanquam ſpeciebus in caſu recto prædicatur, *vid. plurimum Reverend. Dn. D. Dannhauer. in Dialect. quæſt. fin. lit. β. n. 5.*) & generalioribus, utpote naturâ & cognitione prioribus, ad particularia, & ſpecialiora deſcendendum ſit. *vid. idem in Dialect. part. 2. cap. 5 quæſt. 6. lit. β.* ideoque de Alluvionibus, quas ſpeciem eſſe Acceſſionum ex iis, quæ ſubjiciemus, patebit, tractaturi, pauca quædam de Acceſſione, ſtatuarii vice fungendo. *vid. idem in Dialect. part. 2. quæſt. 2. cap. 6. lit. β.* differere lubet.

II. Eſt autem Acceſſio modus acquirendi Jure gentium, quo per quandam prævalentiam, etiam res noſtra aliam ad ſe trahendo quaſi occupat, & ita noſtram facit. *Ampliſſ. Dn. D. Rebhan in Hodeg. Iur. chart. 2. clim. 2 paral. 1. th. 31. arg. l. 23. §. 4. ff. de rei vind.* Et eſt duplex naturalis & artificialis, ſeu induſtrialis, hæc operâ & induſtriâ

 hominis

hominis efficitur, quot modis id contingat, *vid. idem ibid. th.38. cum ſeqq.* illâ ſine labore ferè & induſtriâ noſtrâ rebus noſtris accedit, eſtque Diſcreta & continua: illa conſiſtit in partu ſeu fœturâ animalium Dominio noſtro ſubjectorum, & in inſula tùm marina, tùm fluviatica: Hæc continua ſcilicet, ſeu concreta eſt incrementum factum à Flumine publico, quod vel apparens, ut alvei mutatio, vis Fluminis &c. vel latens, quod eſt alluvio. *§. 19. cum ſeqq. I. de rer. div. Althuſ. in Iuriſprud. Roman. lib. 1. cap. 15.* de quâ paucis in præſentia diſſerere lubet:

III. Diſtinguemus autem Diſſertationis noſtræ tractationem in partem generalem & ſpecialem: in illâ quid ſit? & quotuplex Alluvio? in hac & conſentanea (in quæſtione Διότι, cur ſit? [per cauſas tùm Externas Efficientem ſcilicet, & Finem, tùm internas Materiam ſcil: & Formam] & in Effectibus etiam occaſionaliter contrariis.) & Diſſentanea, deniq; Affinia Alluvionum conſideraturi ſumus: Quæſtionem an ſit (quamvis aliàs primo ſemper loco cognoſcenda ſit. *Ariſtot. lib. 2. poſt Analyt. cap. 1.* cùm fruſtranea ſit opera, quæ in rem in rerum natura nō exiſtentem impenditur) cùm non ſemper demonſtretur, niſi rem eſſe aliqui negent. *Zabarel. in commentar. ad lib. poſt. cap. 1. t. 1.* Alluviones autem eſſe & fieri apertum ſit, & manifeſtum, nec quisquam ſit, qui vel neget, vel, niſi ſanus inſanire vellet, negare poſſit, permiſſu Ariſtot. *lib. 1. poſter. analyt. cap. 8. t. 76.* prætermittemus.

IV. Ordimur itaque à quæſtione quid ſit? i. e. à Definitione, quæ duplex Nominis & Rei: Illam primò perſequi neceſſarium duximus: πρὸς τὸ γὰρ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, ad bene docendum omnium primo

primo nomina examinanda veniunt, *ait Ariſtot. lib.* 1. *poſt Analyt.cap.*1. *Scalig. exerc.* 359.*ſect.*1. & ſine nominis explicatione rem cognoſcere velle nihil aliud eſſe, quàm lateres lavare affirmare non erubuit, *Galen. lib.* 1. *de method.c.*2.3.*& lib.*1.*ad Thraſil.* Nomina quippe rerum ſunt notæ. *Scal. de cauſ. Ling. Lat. c.*13.*§.*29. *l. de legat.* ſine quibus demonſtrare nihil poſſumus, *Zabarell. de trib. præcognit.c.*3. atque adeò cùm nomina non ſolùm utilia ſint ad diſquiſitionem, verumetiam ad cognitionem neceſſaria. *Scalig. exerc.* 325.*ſ.*10. de nomine Alluvionis ante omnia aliquid dicendum eſt.

V. Et quidem 1. Ratione Etymologiæ, eam vocem ab alluendo, quod attingere, aſpergere, **hin zu wallen/ anpütſchen/ anrinnen/** Gallis couler auprés, Græcis ἐπικλύζειν, προσκλύζειν, ſignificat (ſic enim *Cic. pro Sext. Roſc.* ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur &c. *Idem alibi*, non alluuntur à mari mœnia extrema, &c. *& Plin.* Flumen Sidenum, quo alluitur oppidum Polemonium &c. *item Seneca*, alluit gentes illas fluvius.) alluere verò à præpoſitione *ad*, & verbo *lavo*; & ita alluvionem, quaſi adlavionem dictam tradunt, propterea quod adlavando mare vel flumen eam producat. *v. Lexic. Calepin. in voce alluo.* Quamvis enim alluere non ſit augere, ſed attingere, appellere, aſpergere; cùm tamen iſto appulſu & attritu affluentis aquæ detractio terræ, conglutinatioque contingeret, ac proinde per alluvionem acquiſitio fieret, acquirendi modum, quod incrementum latens verè definitur, JCti Alluvionem vocarunt, eique illam definitionem accommodârunt, rerum vim non verborum proprietatem ſpectantes, ſunt verba Hotomanni, *ad §. præterea.* 20. *I. de rer. div. in verb. alluvio incrementum latens.* Quid ſi ab *ad*, & *fluo*, & ita Alluvionem quaſi

 Adfluvio-

Adfluvionem dictam rem magis, quàm ſyllabarum rationem ſectati ſtatuamus? nihil forte à juris ratione,aut mente Imperatoris eam *in §.20. I.de rer.div.* incrementum vocantis (quod abſurdum videtur Hotom. *ad l.c. & in Comment. verb. Iur.*) alienum facturi ſumus.

VI. Hoc autem modo deducta vox Alluvionis dupliciter ſumi poteſt. 1. *Latè & Vulgariter*, pro omni eo, quod ſive latenter ſive palam adfluit, quo in ſignificatu etiam vim fluminis comprehendit. 2. *Strictè & Iuridicè*, quatenus vi fluminis opponitur, *ut in §.20 I.de rer.div. l.7.§.1.ff de acquir. rer. dom. cum ſimilibus.* Sed & in Jure Civili ſumitur dupliciter, notante *C. I. A. lib. 41. tit. 1. th 26. n. 1.* vel *generaliter, & vulgariter*, ita ut inſulam ſub ſe comprehendat, *l.2.ff.pro ſuo.* vel *ſpecialiter & juridicè*, quatenus inſulæ opponitur, *ut in d. §.20. I.de R.D. d.l.7.§.1.ff. de A R D. Cic. lib.1. de Orator.* & hoc in ſignificatu iterum tripliciter. 1. *Efficienter*, pro actu ipſo alluvionum. 2. *Materialiter*, pro incremento earundem. 3. *pro Effectu*, ſivè jure alluvionis, & acquiſitione dominii. *Gryphiand. tr. de Inſul. c.18. num.14.*

VII. Sed nec uno ſaltem eodemq; nomine ſemper dicitur. vocatur enim primo ob alluvionis modum receſſus aquæ. *l.38. & ibi Gothof. lit.b. l.30.§.3 ff.de acquir. rer. dom. l.14.pr.ff.quem.ſerv.amitt.* illuvio. *l.16.§.3.ff. fam. erciſc.* ſi modo ea lectio retinenda, de quo vid. Pac. *in not. ibi lit.e.* in ſpecie accretio. *l. 56 ff. de acquir. rer. dom. Ampliſſ. Dn. D. Rebhan in Hodeg. Iur. chart. 2. clim. 2. paral. 2. theſ. 32. in Exeg. n. 2.* Alluvies. *vid. Lexica in hac voce.* Adlavio, Adfluvio. *vid. ſup. th. 5.* Adjunctio & appulſus Fluminis. *Hotom. ad § præterea. 20. I. de R.D. in v. alluv. increm. latens.* tacita quaſi quædam occupatio. *Mynſing. ad §.20. lit.a. I. de rer. div.* aggeſtio & exaggera-

aggeratio terræ. *Althuſ. in Iurisprud. Roman. lib. 1. cap. 15.* Germanis dicitur ein Zufluß/Zuwachs/Anſchütt: Græcis πρόσκλυσις, i.e. adundatio. πρόσχωσις, i.e. adaggeratio. *Theophil. Gothofr. ad l. 7. §. 1. lit. Z. ff. de acquir. rer. dom.* Gallis Ravine.

VIII. Definimus autem Alluvionem: *Acceſſionem naturalem, concretam, adjectione vel receſſu aquæ terminos ſuos non retinentis, in fundis non limitatis latenter factam.*

IX. Et quamvis uniformes eſſe alluviones, ſaltem ſcilicet fluminales quidam contendant, commode tamen cum Spigelio & poſt eum Simone Schardio Ratione cauſæ Efficientis eas in Fluminales, quæ à flumine, Marinas quæ à mari, (cujus nomine etiam comprehendimus lacus ſtagnaque majora, de quibus infra) & pluviales, quæ ab aqua pluvia proveniunt: Et forte etiam ratione materiæ Subjectivæ, in eas quæ fiunt in alveo: & eas quæ in ripa fluminis &c. ex *l. 30. §. 2. l. 56. ff. de A. R. D.* diſtinguemus.

X. Quænam Alluvionum Cauſa ſit Efficiens? ex ordine *ſup. th. 3.* poſito, nobis nunc diſcutiendum venit: Eſt autem triplex, Remota, Propinqua, Proxima: Remota eſt Jus naturale ſeu gentium (quæ hactenus Synonymicè dicuntur. *§. 11. I. de R. D.* utut aliàs invicem opponantur. *Rub. & tit. I. de I. N. G. & C. l. 1. §. pen. & ult. ff. de juſt. & jur.*) *§. 20. I. de R. D. l. 7. §. 1. ff. de A. R. D.* & quidem ut vocant primævum, *arg. §. 12. I. de R. D.* quod ſcil. naturalis ratio ſimpliciter & quaſi ſponte ſuâ, abſque ullo vel non ita difficili diſcurſu inter omnes homines conſtituit, & apud omnes peræque gentes cuſtoditur. *§. 1. I. de I. N. G. & C. l. 1. §. ult. l. 9. ff. de juſt. & jur.* Ampliſſ. Dn. D. Rebhan *in Hod. Iur. chart. 2. clim. 1. paral. 1. th. 19.*

1. th. 19. vid. Magnif. Dn. D. Tabor *in Juriſprud. Element. part. 1. th. 8. circa fin.* Excellentiſſ. Dn. D. Bicc. *in præloq. rer. quotidian. th. 34. n. 1.* Cùm enim nullus hîc verſetur poſſeſſoris animus, nullum ejus factum, quo magis alieno fundo quicquam detrahatur, & ſuo adjiciatur: conſequens eſt ipſam naturam ſuapte ſponte per alluvionem id appropriare fundo, cui accedit Mynſ. *ad §. 20. I. de R. D. lit. a.*

XI. Efficiens propinqua eſt Flumen. *arg. §. 20. ibi flumen adjicit. I. de rer. div. l. 7. §. 1 ff. de acquir. rer. dom.* Flumina quippe eorumq; more agrimenſores aliis ſpatia tollunt, aliis terram concedunt: inquit Caſſiodor. *lib. 3. var. Cujac. I. de R. D. in v. quod ſi vis.* & Pomponius *in l. 30. §. 3. ff. de acquir. rer. dom.* Flumina, *ait,* cenſitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum addicant, & ex publico in privatum: Cumq; interdum quid detrahant, æquum eſt, ut & aliàs quandoque rurſus adjiciant. *l. 10. ff. de reg. jur.* Locam. *ad §. 20. I. de R. D. lit. a.* Flumen autem cùm dicimus, non id intelligimus, quod publicis aquæductibus inſervit. *ut l. 17. ff. de ſerv. præd. ruſt.* nec aquam pluviam, quæ ex canalibus, vel alveis, plumbeis puta vel ligneis cum impetu labitur: de qua Servitute Fluminum agitur in *§. 1. I. de ſerv. præd. l. 20. §. 5. ff. de S. P. V.* (quæ utraq; abuſive Flumina dicuntur) ſed de Flumine propriè ſic dicto, publico ſcilicet, quod vivum & perenne eſt, perpetuoq; fluit loquimur. Bald. *ad Rub. de A. R. D. Angel. Mynſing. Schneidevv. & communiter Dd. ad §. 20. I. de R. D. Treutl. 2. 20. 5. f.* Impropriè enim, ſeu uſu populari & vulgi ſaltem conſuetudine torrens etiam Flumen dicitur. *arg. l. 4. §. 1. ff. & §. 2. I. de rer. diviſ.* Hic enim cum momentaneus ſit, nec perpetuo fluat, ſed ſiccitate ut plurimùm exareſcat, verum

Flumen non eſt, ſed tale videtur, ut notat Ampliſſ. Dn. D. Rebhan *in Hodeg. Iur. chart. 2. clim. 2. paral. 1. th. 8. in exeg.*

XII. An autem, quod dicitur Alluviones à Flumine fieri excluſive intelligendum ſit, & an etiam in Mari Jus Alluvionis locum habeat? non inter omnes convenit: Nos (non obſtante *Iob. c. 26. v. 10. c. 28. v. 26.*) affirmantibus Jus Alluvionis non ſecus in Mari, ac in Fluminibus publicis locum habere adſtipulamur. *arg. l. 23. ff. quib. mod. Vſusfr. amit. l. 3. §. 17. ff. de acq. poſſ.* Cùm enim Jus alluvionis præcipue propter compenſationem lucri & damni inſtitutum approbatumque fuerit, ut infra dicetur, Mare autem non ſecus, imò etiam multo magis, quàm Flumina, damna incommodaq; varia, inundatione, detractione, aliisq;, ſi qui ſunt modis, finitimis inferat: Ideoq; æquitas ſuggerit, quamvis Jure deficeremur, ut loquitur Paulus *in l. 2. §. 5. in f. ff. de aqua pluv. arc.* (cùm lex ſit omne quod ratione & æquitate conſiſtit. *c. conſuetudo. diſt. 1.* unde Philoſophus, legem quærere, ubi naturaliter ſentimus, nihil aliud, quàm intellectus infirmitatem eſſe dixit. *vid. Benvenutus Straccha tract. de Mercatura part. 2. num. 81.*) idem quoq; commodum afferre debere; ſecundùm naturam quippe eſt, commoda cujusq; rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. *l. 10. ff. de R. I.* Prò qua ſententia etiam facit, quod omnis conſolidatio cedat fundo principali. *l. 9. §. 2. ff. de damn. inf. C. A* 41. *r.* 26. *n.* Quamvis igitur caſus iſte à Juſtiniano omiſſus, & circa Inſulam in Flumine, & inſulam in mari enatam, propter diverſitatem rationis, quæ inducit diverſitatem Juris. *l. 15. C. de transact. l. 16. ff. de pœnis. vid. Apolog. Colmar. cum ibi allegat. p. 111. lit. Z.* diverſum Jus ſtatutum ſit. *§. 22. I. de R. D. l. 7. §. 3. ff. de A.*

R. D. cum ſimil. Hoc tamen caſu propter identitatem rationis, & æquitatis naturalis idem Jus in Mari, quod in Fluminibus publicis ſtatuendum, nec ſtatim, *ut in l. 64. §.9. ubi vid. Gothofr. lit. d. ff. ſol. matrim. l. 22. pr. d. t. l. 10. ff. de liber. & poſt vid. Everhard. in loc. ab æquipollent. num. 13. cum ſeqq.* caſus omiſſus pro excluſo habendus erit. Proviſio enim facta in unum caſum per modum diſpoſitionis, ſi vel ex virtute caſus expreſſi omiſſus poteſt intelligi, *ut in §. 3. I. de ſociet. l. 29. pr. ff. pro ſoc.* vel eadem ſit ratio, & æquitas in caſu omiſſo, quæ in expreſſo, etiam ad omiſſum extenditur. *l. 12. 13. ff. de Ll. vid. Everhard. d. l. n. 15.* & expreſſum eſt id quoq;, quod ſub eadem ratione comprehenditur. *l. 13. ff. de teſtib. l. 27. §. 13. ff. ad l. Iul. de adult. Tiraq. in l. 8. in verb. ſuſceperit liberos. C. de revoc. donat.* Vel ex eadem ratione deducitur. *Suid. deciſ. Mantuan. 254. n. 10. & deciſ. 255. n. 23. Cald. Peregrin. de reſolut. Emphyteuſ. 1. num. 20. 21. Rot. Roman. deciſ. 10. num. 10. apud Farinac. part. 1. recentior.* Adeò ut & in correctoriis ex paritate rationis extenſionem faciendam, contra *gl. in c. cupientes. § quod ſi Elect. in 6.* probet *Ioan. Cora. part. 4. tr. de Iu. Civ. in int. redig. c. 8. per l. 1. junct. l. 5. C. de bon. quæ lib. l. fin. C. de ind. vid. tol. arg. l. 32. ff. de Ll.* vid. Apolog. Colmar. *p.* 116. *lit. f. & g.*

XIII. Quid Juris in lacubus publicis & majoribus: An & in his Jus alluvionis locum habet? Aff. Si Flumina, quæ in eos labuntur, non ibi remaneant, ſed eos percurrant, quales ſunt in Germania lacus Brigantinus, vulgò der Bodenſee/ prope Lindaw/ quem Rhenus: & Lacus Lemanus, der Genffer See/ prope Genevam, quem Rodanus percurrit: in his enim ceſſat ratio. *l. 12. ff. de A. R. D. vid. Gœdd. ad l. 112. de V. S.* Sed mari comparantur *in d. l. 112. de V. S.* in quo Jus alluvionis locum habere

bere th.præcedenti dictum fuit: *v. Bart. tr. de Inſul. in v. quæ mari. Gryphiand. tr. de inſul. c.* 18. *num.* 109. *& ſeq.* Cùm enim motibus obnoxii ſint, ita ut fluxum & refluxum ſentiant, *Scalig. exerc.* 50. 51. ideò vix eſt, ut non aliquid ex motu, vel materia fluminum participent. *C. I. A.* 41. 1. *th.* 26. *n. V.*

XIV. Quid autem de aqua pluvia, quæ ſcilicet de cœlo cadit, atq; imbre excreſcit, *l.* 1. *pr. ff. de aqua pluv.* dicemus, ſi ea aliquid fundis noſtris ſenſim & latenter adjiciat? Reſp. quin alluvionis titulo nobis acquirantur, & ita etiam ab aqua pluvia alluvio fieri poſſit, nil obſtare video, cùm poſitâ formâ ponatur formatum; eaq; det eſſe rei, diſtinguere & operari, vid. plur. Reverend. Dn. D. Dannhavver, *in Dialect. p. m.* 47. *Schard. Calvin. in Lexic. Iur. in voce Alluvio.* Deniq; generaliter definimns, quod quæcunq; aquæ terminos ſuos non retineant, in iis Jus alluvionis regulariter locum habeat: *argumento ducto à contrario ſenſu ex l.* 12. *ff. de A. R. D.*

XV. Ad cauſam Efficientem Proximam non incommodè referre poterimus modos, quibus alluvio contingit: Sunt autem duo: Fit enim Alluvio vel per adjectionem (quando nimirum flumen terram fundo alterius detractam, alteri agro latenter adjicit) vel per receſſum Fluminis (quando nimirum flumen paulatim recedendo, terram ſiccam relinquit, quæ cedit agris cohærentibus & occupantibus) *l.* 38. *ff. de acquir. rer. dom. v. Bart. tract. de Alveo. in verb. quod ſi toto.*

XVI. Hujus autem Juris conſtituendi cauſa Impulſiva pa[illegible]im in illa naturæ lege poſita eſt, ut acceſſio ſiquiden[illegible] [illegible]oaluerit, cedat principali. *l.* 9. *§.* 2. *ff. de dam. inf. l.* 26. *§.* 1. 2. *ff. de acquir. rer. dom.* partim in eo, quòd Alluvio ſpeciem perimat: agrum enim viciní lentâ illâ

 &in-

& inſenſibili detractione diluit, & ſenſim in atomos redactum perimit, & quaſi in nihilum redigit, ita ut ager eſſe deſinat, atque idcirco novam poſtea ſpeciem efficit, quoniam & formam & corpus mutavit: cum etiam ob ſolius formæ mutationem res interiiſſe, atq; abeſſe videatur. *l. 13. §. 1. ff. de V. S. Hotoman. ad §. præterea. 20. in verb. jure gentium tibi acquiritur. ibid. in v. eam tuam permanere in fin. & ad §. quod ſi. 23. in v. in formam inſulæ redegerit. I. de R. D. add. th. ſeq.*

XVII. Jus autem iſtud eo potiſſimùm fine, qui & cauſa ejus impulſiva dici meretur, inſtitutum approbatumque fuiſſe videtur, ut lucra cum damnis, & damna viciſſim cum lucris compenſarentur, juxta *l. 10. & ibi not. ff. de reg. Iur. arg. l. 7. pr. ff. de peric. & com. rei vend. §. 3. verſ. ſed & ſi poſt. I. de Empt. Vend. l. 2. C. de Alluv. l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv. arc.* Deinde etiam Jura Alluvionum ſunt recepta adverſus negligentes, qui ripam qua ſui agri terminantur, munire aut reficere contemnunt. *Cuiac. ad tit. C. de Alluvion. Hotoman. ad §. præterea. 20. I. de R. D. in verb. jure gentium tibi acquiritur. Dn. D. Ludvvel. ad d. §. 20.* Unde Aggenus Urbic. *lib. de limitib. agror.* Quicquid, *ait*, vis aquæ abſtulerit, repetitionem ejus nemo habet, quæ res neceſſitatem ripæ muniendæ injungit, ita tamen, ut ſine alterius damno quicquam fiat: *Item*, at Caſſius Longinus Vir prudentiſſimus Juris auctor, hoc ſtatuit, ut quicquid aqua lambendo abſtulerit, id poſſeſſor amittat, quoniam ſcilicet ripam ſuam, ſine alterius damno, tueri debet: Si verò vi majore decurrens alveum mutaſſet, ſuum quisq; modum agnoſceret: quia non poſſeſſoris negligentiâ, ſed tempeſtatis violentiâ abreptum apparet: Nam etſi mutare naturalem alveum fluminis nemo poſſit, tamen ripam

pam ſuam munire ſine injuriâ accolarum poteſt, & verò debet ne quid ei abſtrahatur alluvionis jure. *l.* 1. *C. de Alluv. & ibi Cujac.*

XVIII. Forma Alluvionum conſiſtit in Acceſſione, ſeu ut Imp. *in §. 20. I. de rer. div.* vocat, incremento latenti, hoc eſt, occulto, ſenſimq; procedente augmento, quando nimirum flumen &c. ex una parte per minutiſſimas particulas addit ex aliâ, id eſt, ex oppoſito diminuit, & corrodit adeò latenter, ut per imbecillitatem Viſûs humani cognoſci minimè poſſit, quantum quoquo temporis momento adjicitur. *l. 7. §. 1. de A. R. D. §. 20. I. de R. D.* Nam etſi totâ die figat quis intuitum, imbecillitas tamen viſûs, tam ſubtilia incrementa perpendere nequit, ut in cucurbita oſtendi poteſt. *Azo. in Summa. I. de R. D. in verb. per alluvionem.* Quis enim arenam, quæ in formam agri paulatim redigitur dinumerare, vel per ſingula momenta deſignare, aut intelligere quiret? ut ait Mynſing. *ad §. 20. lit. a. I. de R. D.* Momentum autem hoc loco, non pro latiori temporis ſpatio, ut in *l. 6. ff. de uſucap. & alibi vid.* Cujac. *c.* 1. *de præſcriptionibus.* ſed in proprio ſuo ſignificatu, pro atomo, puncto, ſive individuâ parte temporis accipitur, ſicut cùm dicimus hereditatem ne momento quidem ſubſiſtere, in perſonâ ejus, per quem acquiritur. *l. 79. ff. de acq. hered. Cujac. d. l. Borcholt. ad §. præterea. 20. I. de R. D.*

XIX. Quæ Forma probandi alluvionem? Bartolus *in tr. de Fluminib. in verb. per alluvionem*, teſtes requirit. Quamvis enim, *ait*, non quantum, quod tamen acceſſerit, probari poteſt, ut in puero creſcente videre licet: idem ibidem ait, ex diviſione loci poſt incrementum allatum videri, & per viſum comprehendi poſſe, quod per Alluvionem ſit factum,

XX. Materia Alluvionum eſt duplex, Objectivâ, & Subjectiva: Objectiva quæq; res adfluens & accreſcens eſſe videtur Bart. *tr. de flum. pr.* Cum enim Imperator *in §.20. I. de R.D.* & JCtus *in l. 7 §.1. de A. R. D.* utantur voce *Quod*, quam de quacunq; re interpretandam docet *l.1. §.6. ff. naut. caup. ſtab.* ſive lignum, ſive aurum, ſive argentum, ſive gemmæ, ſive lapilli, aliaq; ejusmodi prædiis noſtris acceſſerint & accreverint, dummodo ignoretur cujus ſint, nobis acquiri ſtatuit, quod facilè quidem, ſine veritatis tamen præjudicio, concedimus, ſed ut alluvionis titulo nobis acquirantur, hanc rationem ut ſcilicet ignoretur cujus ſint, nequaquam ſufficere, ſed inſuper formam Alluvionum, (quâ ſublatâ tolli formatum neceſſe eſt) ut ſcilicet ſenſim & latenter accedant, requiri, probat textus expreſſ. ſæpius allegatus. *l.7. §.1. de A.R.D. l.20. I. de R.D.*

XXI. Materia Subjectiva ſunt agri, eſt enim Jus Alluvionis non perſonale, ſed reale, adjiciens rem rei, portionem portioni, atq; ita conſequenter perſonæ per rem. *l.33. §.1. & ibi Pet. Coſtal. ff. de Vſufr. fac. l.7. §.2. in fin. ibi, ex eo tempore, ff. de A.R.D. §.20. & ibi VVeſenbec. I. de R. D. Tiber. Decian. reſp.124. num.33. vol.3. Gadd. ad l. 25. num.23. & ad l.96. num.7. ff. de V.S.* Eſt autem ager (ab agendo ſic dictus, ſicut apud Græcos ἀγρὸς ab arando, ſive vertendo, & agendo παρὰ τὸ ἄγειν, quia ſemper aliquid in eo fructus capiendi causâ fit, & agitur. *Varro. lib.4. Ling. Lat. Gadd. ad l.27. num.7. de verb. ſign.*) locus ſine ædificio. *l.27. l.211. de verb. ſign.* Unde dubitari cœpit, utrum Alluvionis Jus, etiam in ædificiis juxta flumina ædificatis locum habeat? quod tamen dubium diluitur ex *l.16. pr. ff. de pign. & hypoth. l.10. §. 3. ff. famil. erciſc. l.11. §. 7. ff. de public. in rem act. l. 1. C. de Alluv.*

l.7. pr.

l.7.pr.ff. de peric. & com. rei vend. l.64. §.1.2.ff. de evict. fac. etiam. l.7. §.2. ff. de A R.D. §.21. I. de rer. div. in quibus textibus Jus alluvionis in fundis & prædiis locum habere dicitur: quorum appellatio generalis eſt, eaq; omne ædificium & omnis ager continetur. *l.211. de V.S. l.189. l.60. l.115. d.t.* Quare cùm non ſaltem apud Dialecticos canoniſata ſit Regula, quòd quicquid dicitur de genere, dictum etiam intelligatur de ſingulis ejusdem ſpeciebus: Verùm etiam JCti tradant, ſub geuere venire ſingulas ejus ſpecies, ejusq; expreſſionem idem operari, ac ſi ſingulæ ſpecies enumeratæ eſſent. *l. 9. §.1.ff. quod met. cauſ. l.79. pr. de legat. 3. l. 147. de reg. jur. Zaſ. conſ.1.n.113. lib.2. Stephan. Gratian. tom. 4. diſcept. forenſ. c.792. n.8.* etiam in ædificiis, non tamen ut ædificiis, ſed reſpectu ſoli conſideratis, Jus Alluvionis locum habebit: Bart. *tr. de flumin: in verb. agri.* C.J.A.41.1.26.n.IV. *circa fin.* ideò enim *in l. 7. §. 1. de A. R. D. & §. 20. I. de R.D.* agri ſaltem mentio fit, ut oſtendatur, non reſpectu ædificii ſuperimpoſiti, ſed reſpectu ſoli (cujus Jus ſequi ædificium *in l.21. ff. de pign. act.* dicitur) Alluviones fieri, & reputari: *Bart. d. l.* Et ſanè agrum cum ædificio (ἀναφορικῶς, & reſpectu ejus, non quod nunc eſt, ſed quod ante fuit) dixit Florentinus *in l.211. in fin. ff. de V.S.* ſicut etiam pupillus is vocatur, qui nunc pubes factus eſt, quia impubes fuit. *l. 11. ibi, & cum pupillus adoleverit. ff. de tut. & rat. diſtr. Gœdd. ad l.27. n.8. de V.S. add. l.56. §. 1. in fin. ff. de A.R.D. Matth. 11. verſ.5. ibi claudi ambulant.* vid plurimùm Reverend. Dn. D. Dannhavver. *in ideâ boni Diſputat. ſect. 1. §.27.*

XXII. Quid in agris ab hoſtibus captis? an in omnibus iis Jus alluvionis locum habet? Neg. ſed in iis ſaltem, qui certos limites non habent, quales ſunt illi,

qui deviđtis hoſtibus eâ conditione conceſſi ſunt, ut in Civitatem venirent. *l.16.ff.de acquir.rer.dom.* Hi ſunt agri per extemitates menſurâ comprehenſi, qui Civitati toti aſſignati ſunt per Univerſitatem, *ut authore Iulio Frontino*, in Luſitania Salmaticenſibus, in Hiſpania citeriore Palantinis, & ita in compluribus Provinciis tributarium ſolum per univerſitatem definitum eſt. *Gothofr. in not. ad d.l.16. lit.o. ex Cujac. lib.2. Obſ.cap.9.* Hujuſmodi agros arcifinios vocant ab arcendis hoſtibus. Frontinus *in lib. de agror. qualit. & Aggen. Vrbicus in Comment.* Alii dictos putant, quod certis linearum menſuris non continentur, ſed arcentur fines eorum objectu fluminum, montium, arborum. *Connan. ex Varron. Comm. lib.3.c.5.n.5.* Siculus Flaccus occupatorios vocat, quòd iis occupatis à Victore populo territis inde fugatisq; hoſtibus, unicuiq; non modo tantum occupare licebat, quantum colere pręſenti tempore poterat, ſed quantum in ſpe colendi habuerat, ambiebat. add. Parmenſ. *lib. 1. de Alluv. 16. n.9. Gryphiand. de Inſul. c.21.n.53. C.l.A.41. 1.26.n.IV.*

XXIII. An & in Inſula, & ita in alveo fluminis, Jus alluvionis locum habet? Aff. quocunq; modo conſtituta fuerit. *l.30.§.2.ff.de acq.rer.dom.* Unde ſi inſula erat propior alteri ripæ eo tempore, quo primum enata eſt, licet poſtea alluvione in tantum creverit, ut utrique ripæ eſſet æquè propinqua, vel etiam propior alteri ripæ, cui primùm non fuit, nihilominus tamen alluvione adjectum, & ſic tota inſula ad eum pertinebit, qui ab initio habuit prædia propiora. *l.56.pr.ff.de A.R.D.*

XXIV. An in litore maris Jus Alluvionis locum habeat? ita ut ſi quid ei per alluvionem adjiciatur, finitimis cedat? Aff. litus enim non augetur, quia ſemper eſt id,

eſt id, quouſq; conſuetus maris fluxus hyberno tempore excurrere ſolet. *§.3.I.de R.D.* & eatenus etiam publicum eſt. *l.112. de V.S.* Si ergò Mare paulatim alluendo & recedendo, ita ei adjiciat, ut priores litoris terminos mutet ac deſerat, deſinet terra illa derelicta litoris appellatione contineri, nec amplius in publico cenſeri debet, ſed cedet agris cohærentibus, *arg. l.38. ff. de A.R.D.* nec erit fiſci vel Reip. *per tradita ab Antonio Peregrin. de jure fiſci lib.1. tit.1. n.8. cum ſeqq. Bertachin. in repert. Iur. v. litora. Tiber. Decian. reſp 123. 124. vol.3. Alexand. conſ.57. n.6. Ioſeph. Maſcard. de probat. concluſ. 1189. n.31. & ſeqq. l.1. C. Theodoſ. de Alluv.* Si enim Fiſci eſſent vel Reip. fruſtra dicerentur in morem agrorum cedere & prodeſſe Venditori, ſi id actum ſit. *l.51. de contr. empt. Gædd. ad l.96. n. 5. 6. 7. 8. ff. de verb. ſign. idem part. 8. Diſp.3. th.6. lit. f.* Et ſanè, ſi quod Juris eſt in piſcium & ferarum captivitate, hoc idem ſervatur in litoris occupatione, *l.14. pr. ff. de A.R.D.* piſces autem & feræ, ſimulatq; ab aliquo apprehenſæ & occupatæ fuerint, ei cedunt. *d. l. 14. §. 1. cum ſimil.* quâ ratione agris litus derelictum occupantibus (cùm ut *th.20.* dictum, alluvionis Jus ſit reale, quod ipſi rei cohærenti adjicit, & quidem ipſo Jure. *Dd. in l. 7. ff. de peric. & com. rei Vend. per l.13. §.14. & ibi gl. & Petr. Coſtal. ff. de act. empti. l. 2. l. ult. C. de Alluv. Tiber. Decian. reſp 52. n.56. volum.* 1. pro modo & conditione fundorum cohærentium, qui quaſi occupare videntur. *Gædd. ad l.96. n.7. de V.S. Mynſing. ad §. præterea. 20. I. de R.D. lit.a.* ita ut novâ apprehenſione opus non ſit. *vid. Curt. jun. conſ. 250. n.11.* ſed, ſicut primus ager, etiam alluvio poſſidetur, *arg. l.3. §.1. ff. de acq. poſſeſſ. l.8. pr. de legat. 1. l.24. §. pen. d.t. Bart. tr. de flumin. in verb. acquiritur nobis.*) id denegare, & vel fiſco vindicare, vel ad

Regalia referre, quidam velint, non video. *add. quæ ſupra th.12. dicta ſunt:* quod autem de litore maris, id eadem ratione in litoribus lacuum publicorum & majorum, *per l.112. de V.S.* ſtatuendum erit. *add. ſup. th.13.*

XXV. Quis Effectus Alluvionum & quidem primus? Anne à Fiſco vel quolibet alio, ut pars vacans peti poſſunt? Neg. ob earum inconſtantiam. *l.3.C. de Alluv.* Imò ſub pœnâ 50. librarum, ex conſtitutione Impp. Theodoſii, & Valentiniani, id coërcetur. *d l.3. verſ. cujus legis.* Verùm dominium rei adjectæ tribuunt poſſeſſoribus. *l. 7. §. 1. ff de A. R. D. §. 20. I. de R. D. l. 2. ff. pro ſuo.* ſi modo etiam agrorum, quibus adjectum fuerit, dominium habuerint: id enim quod per alluvionem accedit, ſimile fit ei, cui accedit, eademq; actione, fundus petitur, & ideò, *inquit ICtus in l.*11. *§.7. ff. de public. in rem act.* Si ipſe fundus publiciana peti non poteſt, nec hoc petetur, ſi autem poteſt, etiam pars, quæ per alluvionem acceſſit, petetur: Acceſſorium enim, juxta vulgatam theoricam, ſequitur naturam ſui principalis.

XXVI. Quid ſi loco Religioſo alluvione quid adjiciatur? Reſp. Religioſum id quidem non fiet, cùm ut locus efficiatur religioſus ſpecialiter illatio mortui hominis requiratur, nec totus ager, ſed ſpatium ſaltem illud, quod occupat cadaver in terra religioſum fiat. *l. 2. pr. §. 1. cum ſeqq. §. 5. ff. de relig. & ſumt. §. 9. I. de R. D.* atq; ita ratio in principali ſpecialis eſt, quæ in acceſſorio ceſſat, quo caſu hoc illius naturam non ſequitur. *Gail. lib. 1. de pace publ. c. 5. n. 26. Vigel. in Dialect. Iur. loc. à cauſa fin. Reg. 6. in fin.* Cùm tamen ager, in quo locus eſt religioſus ſit noſter, noſtrum etiam erit alluvionis augmẽtum. *§.20. I. de rer. div. l.7. §.1. de A. R. D.*

XXVII.

XXVII. Quid ſi fundis Eccleſiæ quid adjiciatur? Reſp. Eccleſiæ acquiretur, ejus enim fit acceſſio, cujus eſt Principale: cùm enim bona Eccleſiaſtica ad ſervitium ſervientium, pro ſuſtentatione ſcilicet miniſtrorum Eccleſiæ Deo deſtinatæ ſint, cur ſi privatorum fundi, non etiam Eccleſiæ utpote cujus cauſa longè favorabilior, & ita etiam ſuſtentatio miniſtrorum, alluvione augeri, & ut in aliis. *vid. Nov. 120. c. 6. §. 1. in fin. tot. tit. ff. ne quid in loc. ſacr. fiat.* ita & in hoc caſu Eccleſiæ conditio melior fieri poſſit? cum inducta ad augmentum non debeant operari diminutionem. vid. Apolog. Colmar. *cum ibi allegat. p. 161. lit. t.*

XXVIII. Quid ſi viæ publicæ alluvione quid accedat? Reſp. Fundo trans viam proximo acquiretur, quoniam ille fundus flumini proximus eſt. *l. 38. de A. R. D.* & ſi via publica vel fluminis impetu vel ruina amiſſa ſit, ejus poſſeſſor eam præſtare tenetur. *l. 14. §. 1. ff. quem. ſerv. amit.*

XXIX. Quid ſi Fundo Uſufructuario? Reſp. Adjecti quidem proprietas ad proprietarium pertinebit, *per tradita ſup. th. 24.* Uſufructuarius tamen etiam ejus partis, quæ per Alluvionem adjecta eſt, Uſumfructum habebit: nam ubi latitat incrementum, & Uſusfructus augetur, ubi autem apparet ſeparatum, fructuario non accedit, *ut ait Ulpianus in l. 9. §. 4. ff. de Uſufruct.* Atq; ita abrogata eſt Jul. Pauli ſententia, *recept. ſentent. lib. 3. §. acceſſio alluvionum. 22. & ibi Cujac.* ubi acceſſiones alluvionum, propterea quod fructus fundi non ſint, ad fructuarium fundum non pertinere aſſerit. *Gothofr. ad d. l. 9. §. 4. ff. de Uſufr.* niſi fortè eum de proprietate locutum dicamus: an ſervitutes per alluvionem augeantur? vid. latius Dn. D. Carpz. *lib. 1. tit. 5. reſp. 45. n. 9. cum ſeqq.*

XXX. An autem quod in Uſufructuario idem & in Emphyteuta locum habet? Aff. *Albert. de Roſate. Ang. Iaſ. in l.32. ff. de Ll. Salicet. in l.1. C. de jur. Emphyteut. Anton. de Butr. in repet. cap. fin. de conſuetudine, ut citat Everhard. in loc. argum. legal. loc. à minori. n.3*; argumentando à minori ad majus affirmativè, quod infallibiliter concludere dicunt. *v. Everhard. d.c.* Si enim fructuarius, qui nullum Jus habet in re, nec eſt utilis, (ut vocant) Dominus, capit tamen incrementum alluvionis: multò magis Emphyteuta, qui habet Jus in re, ut eſt utilis Dominus illud accipere debet. *Sichard. in prælect. Cod. tit. quæ ſit long. conſuetud. n.14. add. n.12.13. ibid. vid. Nizolium. allegat.40. n.2. & ſeqq. fac. l.11. §.7. de publiciana. l.10. de R. I.*

XXXI. An incrementum Alluvionis ad Vaſallum quoq; pertineat? Aff. Si Dominus Feudi in eo nil ſibi retineat. *v. Dn. D. Ludvvel. in Synopſ. Iur Feud. cap.* 15. Si retinuit, Vaſallus aut eſt in poſſeſſione incrementi, & jurare, aut non eſt, & probare incrementi inveſtituram tenetur. *1. F. 4. §.5. v. ibi Iacob. Alvarot. Molin. in conſult. Pariſ. tit. 1. §. 1. gl. 5. n. 117. Henning. Groſſen. in Colleg. Publ. Inſtit. diſp.3. q.3. Rittershuſ. part. Feud. lib.2. c.2. q.3. Donell.* 10. *Comment.7.* Hoc autem alluvionis augmentum Vaſallus eodem Jure, quo Feudum, & fundus cui accretum eſt, obtinebit. 1. *F.4. §.5. verſ. ſed ſi. & ibi Balzaran. n.6. Schrader. de Feud. c.10. concluſ. 4. n. 18.* 29. ut ita novâ infeudatione opus non ſit, cùm Jure accreſcendi accedens incrementum feudo uniatur. *arg l. 26. §.2. ff. de pact. dot. l.8. C. de jur. dot. l.59. §.3. ff. de hered. inſtit. vide Gryphiand. tr. de Inſul. c.26. n.106. C. l. A. 41. 1. 26. n. VII.*

XXXII. Quid autem ſi ſecundus Vaſallus accipiat inveſtituram de Feudo à primo Vaſallo cum omni ejus incremento, & vivente primo Vaſallo per alluvionem huic Feudo aliquid accedat, Cuinam? An primo, an ſecundo Vaſallo illud augmentum acquiretur? Reſp. Secundo. Quid autem, ſi primus Vaſallus ſine herede deceſſerit, & Feudum reverſum fuerit ad eum, à quo ipſe tenuerit? Reſp. quicquid poſt mortem primi Vaſalli Feudo alluvione acceſſerit, ad eum pertinebit, ad quem regreſſum fuerit. 1. *F*. 4. §. 6.

XXXIII. Quid ſi fundo legato poſt teſtamentum factum per alluvionem quid acceſſerit? legatum augebitur. *l*. 24. §. *2. ff. de legat*. 1. quemadmodum & dos, ſi fundus dotalis alluvione major factus ſit. *l. 4. ff. de jur. dot.* item hereditas. *l*. 16. §. *3. ff. fam. erciſc. add. l. 20. §. 3. ff. de petit. hered.* item repetitio fundi mortis cauſa donati, reconvaleſcēte donatore. *l. 12. ff de cond. cauſ. dat. non ſec.* item hypotheca. *l. 16. pr. ff. de pign. & hypoth.* non tantùm quoad proprietatem, ſed etiam quoad Uſumfructum, qui poſtea accrevit. *l* 18. §. *1. in fin. & ibi Gothofr. in not. lit. d. ff. de pign. act.* acceſſiones quippe in rem obligatam factæ, puta melioramenta, ut vocant, æquè Principaliter Creditoribus obligatæ ſunt, & hypothecam augent, ac meliorem reddunt. vid. *Gail. 2. Obſ. 25. n. 17.*

XXXIV. Quid ſi Fundo Vendito nondum tradito alluvione quid adjiciatur? Reſp. emptori acquiretur: Nam etſi totus ager poſt emptionem perfectam Flumine occuparetur, periculum eſſet emptoris, igitur & commodum ejus eſſe debet. *l. 7. pr. ff. de peric. & com. rei vend.* §. 3. *I. de empt. vend. l. 10. ff. de R. I.* benignè tamen admittitur in eo, qui majorem agri modum profeſſus eſt emptori ſuo, ut propter ignorantiam alluvio

poſt Venditionem ſubſequens, ad modum complendum reputetur. *l. 13. §. ſi Titius. 14. & ibi Pet. Coſtal. ff. de act. emp.* ubi conjectationem *gloſſ. & Dd.* qui cum textum intelligunt de Venditione ad menſuram factâ, *v. Gothofr. ad d. l. 13. §. 14. in not. lit. t.* neceſſariam non putat, propterea, quod ibi dicitur vendi fundus 90. jugerum, qui contractus ad menſuram non dicitur factus: tunc enim venditio dicitur ad menſuram facta, cùm pretium formatur à menſura, & ab ea contractus incidit, ut vendo tibi decem jugera, & in ſingula jugera certum pretium promittitur, & hoc caſu facilè quivis dixerit, quod ſupereſt ad Venditorem redire. *l. 40. §. 2. ff. de contrah. empt. l. 42. ff. de act. empt.* & quod deeſt debere ſuppleri à Venditore etiam ignorante. *l. 6. pr. ff. de act. emp. c. per tuas. extr. de empt. Petr. Coſtal. ad l. 40. §. qui agrum. 2. ff. de contrah. empt.*

XXXV. Quis Effectus ortus Alluvionum? An etiam Jurisdictionem augent? Negat Bart. *tr. de fluminib. in verb. acquiritur*, eâ ratione, quod Jurisdictio publicum quid ſit: alluvio autem ea, quæ ſunt publica ad alium non transferat. *arg. l. 38. de A. R. D.* Contra quem affirmativam defendit C. J. A. *41. 1. 26. n. 9.* eâ ratione, quod quemadmodum per flumen diminuatur territorium. *arg. l. 7. §. 5. l. 30. §. 3. de A. R. D.* Ita viciſſim per alluvionem fines territorii protendantur. *arg. l. 3 §. 2. ff. de aqua quotid.* limites autem Jurisdictionis æſtimentur ſecundum limites territorii. *l. fin. ff. de Iurisdict. l. 3. & ibi Gothofr. in not. lit. f. C. ubi & apud quem.* Cui etiam competit territorium propriè ſumtum, id eſt à ſupremo Principe conceſſum. *Andr. Knicheu. de territorij Iure cap. 1. n. 77.* competit etiam Jurisdictio ei inhærens. *Camill. Borell. conſ. 70. n. 34. & conſ. 86. n. 11.* Quinimò

non

non datur territorium, cui non inſit Jurisdictio. *Surdus deciſ.* 129. *n.*14. Hinc territorium ponitur pro Jurisdictione. *Borell. d. conſ.* 86. *n.* 12. Sic teſtes deponentes de territorio deponunt etiam de Jurisdictione. *Petra de fideicom. q.* 12. *n.* 403. *vid. latè Andr. Knichen. de territorii Iur. c.* 1. *n.* 56 *cum antecedent. & ſeqq. Iohan. Babtiſt. à Villalobos in opinionibus Iuris communibus. lit. I. n.* 168. *Hartmann. Hartmanni, lib.* 2. *t.* 2. *Obſ.* 14. *Apolog. Colmar. cum ibi allegat. p.* 145. *lit. y.* Quæ ſanè ſententia, ſi limites territorii ſimpliciter in flumine vel ripa fluminis conſtituti ſint, veriſſima videtur, tunc enim ubicunq; flumen, ibi & territorium, & per conſequens Jurisdictio terminabitur. *arg. l. allegat.* Quemadmodum etiam quotidie per Alluviones à Rheno, plerumq; tamen per receſſum fluminis factas, Argentoratenſium Jurisdictionem ampliari videmus: Quod ſi verò in ripâ fluminis limites certi poſiti ſint, ut per arbores lapidesve terminales, vulgò Bannſtein (ſi modò mereantur limites authoritatem & fidem publicam, & Centgravii auſpiciis per deſignatos Steinſetzer/ ritu quodam, ut nimirum lapidi ſubdantur teſſeræ, & notæ, carbones & lateres, quæ ipſi inter myſteria referunt, conſtituti ſint: ut fieri ſolere tradunt. *Schneidevvin. ad* §. 20. *I. de act. in act. fin. reg. in fin. Knichen. de Iur. territor. cap.* 4. *n.* 66. 67 *v. Choppin. de legib. And. lib.* 1. *tit.* 39. *n.* 11. *f.* 254.) Jurisdictio eadem ratione, qua nec agri limitati, non augebitur: Cum ubicunq; illi limites, & ſi in medio fluminis, vel remoti à flumine extiterint, ibi etiam Jurisdictio ſeſe terminatura ſit. *fac. l.* 10. *& ibi Gothofr. lit. t. C. de evict. l.* 11. *ff. fin. reg.*

XXXVI. Quis alter Effectus ortus Alluvionum? An ſicut ei cui quid deluvione diminuitur eidē tributi

onus

onus decreſcit: ita viciſſim cui per alluvionem emolumentum adjicitur, eidem tributi onus accreſcit? *A.l.2. C. de Alluv. l.4. §.1. ff. de cenſib. fac. l. 15. §. 4. verſ. hoc idem. ff. loc. cond. gloſſ. jur. Saxon. lib. 2. 29. ibi,* Wiſſe auch mehr. *Excellentiſſ. Dn. D. Bic. in aureis ſect. 3. th. 23.* quod tamen incrementum per ſe non eſt cenſendum, ſed unum corpus cum eo cui adjacet, judicari debet. *l. 3. C. d. t.* Aliter hos textus conciliare conantur. *Pac. Perez. n. 7. C. de Alluvion. d. l. 2.* de inundatione: *d. l. 3.* de Alluvione intelligentes, quod tamen neceſſarium eſſe non putat. *C. I. A. 41. t. 1. 26. n. VI.* Quod autem dictum eſt Alluvionem etiam tributum augere, de agris non Italicis, qui tributa pendere ſolebant, intelligendum erit: Agri enim Italici, & ij, quibus Jus Italicum dabatur, hâc prærogativâ gaudebant, ut eſſent à Vectigali liberi, *§. 40. & ibi Dd. & omninò Theophil. I. de rer. div. §. 1. I. de Vſucap. l. un. C. de Vſucap. transform.* niſi quà Civitas vel populus fœdus violando ſe beneficio indignum indignamve reddidiſſet, quemadmodum agro Campano accidit in ſecundo bello Punico. *Liv. lib. 27.* Nec reſiſtit, quod Livius *in eodem libro de ſecundo bello Punico* meminit 12. coloniarum Italicarum, quæ ſtipendium dare negabant: Hoc enim ſtipendium debebant ex fœdere, & lege coloniariâ, cùm ex urbe Româ oriundæ eſſent: nequaquam onus agrorum erat, *ut ex eodem Livio, & Aul. Gell. lib. 16. Noct. Attic. c. 3. Alexand. ab Alexand. lib. 14. genial. dier. c. 10. liquet:* Itaq; malè hinc quidam colligunt, agrum Italiæ non fuiſſe ſine Vectigali, *Gædd. ad l. 27. n. 3. 4. de V. S.*

XXXVII. An ut tributum poſſeſſori, ita & penſio colono aucto vel diminuto fundo augenda vel minuenda ſit? Diſtinguimus inter colonos, qui in perpetuum

um, & qui ad modicum tempus conducunt: horum tres ſunt ſpecies Schneidevino, *ad §. prætereà. 2. I. de locat. n. 4.* (plures videre licet *apud. gl. ſup. Rub. C. de agric. & cenſit. Chaſſanæum in conſuetud. Burgundiæ Rub. des mains mortes.*) Conductitii, ſcilicet, partiarii, & nummarii: *Conductitiis*, qui ad certam menſuram e. g. frumenti, vini &c. ex fundo conducto præſtandam, quicunq; fructus percipiantur, ſe obligant, cùm per hujuſmodi conventionem caſus in ſe recepiſſe videantur. *Bald. in l. 18. C. locati. n. 2.* ſi deluvione quid deceſſerit fundo, non minui penſionem putamus: quemadmodum nec ea utcunq; ſterilis ſit annus, minuitur. *Bertachin. tr. gabell. part. 2. n. 27. gl. in l. 18. C. locati. & ibi Bald. d. n. 2. Gail. 2. obſ. 23. n. 22.* Dictam tamen ſententiam, cum limitatione, quam in Emphyteuſi ponit Bartolus, intelligimus, ſi portio fundi reliqua tantùm fructuum annuò det, ut ex iis poſſit penſio, ſeu menſura promiſſa ſolvi: idque eâ ratione, quod ex fundo conducto eam præſtari convenerit: fundo verò per alluvionem aucto, etiam non augebitur penſio. *fac. l. 64. in fin. pr. ff. de evict.*

XXXVIII. *Partiarii*, qui colunt fundos, ob partem, ſeu medietatem fructuum, vmb die Helffte / quia quaſi ſocii Dominorum ſunt: ideoq; lucrum & damnū commune, & ex natura ſocietatis commodorum & incommodorum participes eſſe debent. *l. 25. §. 6. ff. locat. cond.*

XXXIX. *Nummarii*, qui nummis colunt, & ſolvunt penſionem in pecunia numerata (qui propriè ſunt coloni, & dicuntur conductores) ſiquidem modicum ſit damnum æquo animo ferre debent *ut dicitur in l. 25. §. 6. ff. locati.* ſin magnum remiſſionem habent penſio-

D nis

nis. *d.l.* Omnem enim vim, cui reſiſti non poteſt, Dominus colono præſtare debet. *l.15. §.2 ff. locati. l.8. C. eod.* Cùm enim colonus præſter principaliter penſionem propter uſum rei, & in recompenſationem fructuum; qui inde percipiuntur, ſi ob cauſam intervenientem uſus rei intercidat, ita ut colonus re conductâ uti non poſſit, merito fit penſionis remiſſio, & ad fructus comparatio. *Gail.2. obſ.23. n.24.* niſi fortè aliter in lege conventionis actum, conventum & concluſum ſit, & colonus etiam caſum fortuitum in ſe receperit, id enim poteſt. *d.l.8. C. locati. ibi, ſi tamen expreſſum non eſt. l. 9. §.2. ff. d.t. l.7. §.15. ff. de pactis. l.22. C. de negot geſt. vid. Gail. d obſ.23. n.17. cum ſeqq.* vel niſi augmentis alluvionum repenſata ſint damna. *arg. d.l.8. 6. l.15. §.4. ff. locati*: Viciſſim autem ſi alluvione fundo locato quid acceſſerit, ſi modò modicum non ſit, penſio augebitur: *fac. §.3. I. de ſociet.* ut contrariorum eadem ſit diſpoſitio, *juxta l. 8. pr. ff. de legat. 1. l.35. ff. de vulg. & pup. ſubſt. l. 10: & ibi Dd. de R.I.*

XL. Supereſt, ut de colonis, qui fundos in perpetuum, id eſt, eâ lege, ut quamdiu penſio ſolvatur ipſis auferri nequeant. *l.1. pr. ff. ſi ager vectig.* conducunt, indeque Canonem certum ſolvunt, qui *Emphyteutæ* dicuntur, diſpiciamus: Utrum nimirum & his aucto per Alluvionem, vel diminuto fundo Emphyteutico canon augeatur, vel minuatur? Diſtinguimus autem inter Emphyteuſin propriè ſic dictam, quæ habet veram naturam & formam Emphyteuſis: id eſt, quando aliquid datur modici annui magis in recognitionem dominii & honoris causâ, quàm pro modo fructuum percipiendorum *l. fin. circa fin. C. de Iur. Emphyteut. Natta. conſ.49. n.23. Michaël Nizolius allegat.40. n.4. Gail.2. obſ.23. n.25.*

Petr. Coſtal. ad l. ſi merces. 25. §. vis major. 6. n. 15. ff. locati. & inter Emphyteuſin, quàm abuſivè ſic vocant, quando magnâ penſione res Emphyteutica conducitur, ita ut penſio correſpondeat fructibus, ut hodie per Germaniam paſſim fieri ſolere ait Sichard. *in prælect. Cod. ad l. 1. de Iur. Emphyteut. n. 28.* In illa diſtinguimus cum Imperatore Zenone *in l. 1. circa fin. C. de Iur. Emph.* utrum diminutus ſit fundus quoad partem, an quoad totum: ſi totus fundus deluvione deceſſerit, tunc à canone præſtando omninò liberabitur Emphyteuta, damnumque iſthoc rei domino, qui quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat imputabitur. *d. l. 1. C. de Iur. Emphyt.* Sin verò quoad partem, ex quâ non ipſa rei penitus lædatur ſubſtantia, diminutus ſit, quamvis medietatem fundi ea pars excederet, nec tantum fructuum portio ſuperſtes annuo daret, ut ex iis poſſet penſio ſolvi: nihilominus indiſtinctè penſionem conventam integram ſolvi, nec propter particulare damnum minui debere cum Bulgaro ſtatuimus, per textum expreſſum, *d. l. 1. de Iur. Emphyt. & ibi Sichard. n. 20. 21. cum ſeqq.* cùm, ut dictum, magis dominii, quàm fructuum ratio habeatur: ideò tamdiu durat dominium, quamdiu durat ſubſtantia rei. *Bald. in l. 1. C. de Iur. Emphyt. n. 2. in prima lect.* & licet diminuatur fundus, non minuitur tamen dominium, quia nec plus, nec minus recipere poteſt. *idem in l. data opera. 11. n. 29. C. de his qui accuſ. Michaël Nizolius allegat. 40. n. 45.* Ut verò diximus penſionem fundi ob per deluvionem factũ decrementum non minui: ita viciſſim ob augmentum augeri non debet: ut contrariorum eadem ſit diſciplina, & quod Juris eſt in decremento, idem ſit & in augmento. *juxta l. 10. ff. de Reg. Iur. Sichard. ad d. l. 1. de Iur.*

Emph. n.29. Gothofr ad d.l.1. in not. lit. d. Nizolius d. allegat. 40. n.5. in fin. v. Clar. lib.4. §. Emphyteuſis. q. 41.

XLI. Quod verò attinet Emphyteuſin ſic dictam abuſivè (per tradita à Bald. *in c. literæ. extr. de dilat.* ubi utrum locatio conductio, vel contractus Emphyteuticus præſumendus ſit ex qualitate penſionis cognoſci ait: Si enim penſio ſit modica, tunc præſumendum eſſe contractum Emphyteuticum: ſin verô magna & forſaſſis inita à ratione fructuum percipiendorum, locationem conductionem) quia contractus magis videtur ſapere naturam locationis, vel concesſo eſſe contractũ Emphyteuticum: quia tamen per omnia ſimilis eſt locationi, & ceſſat ratio diverſitatis inter colonum nummarium: & Emphyteutam propriè ſic dictum, cùm potiùs pro uſu rei, quàm in recognitionem dominii penſionem ſolvant hujusmodi Emphyteutæ, ideoq; quod ſupra de colonis nummariis, idem de his quoad augmenta alluvionum, & decrementa dictum eſtò. *Sichard. ad d.l.1. C. de Iur. Emphyt. n.28. Anton. de But. & Imol in c. potuit. extr. de locat. Alex. conſ. 132. n.3. vol.1. ubi ad contraria reſpondet. Gail. 2. obſ. 23. n. 25.* Quod verò tributa: non etiam penſiones Emphyteutarum per alluvionem augeantur, ratio differentiæ hæc eſt; quòd tributa ideò ſolvamus, quia ſumus poſſeſſores: & ſic quodammodò res ipſa tributum debet: ut etiam realem actionem habeat fiſcus contra poſſeſſorem: inter Emphyteutam verò & Dominum præceſſit contractùs quidam, & eſt ille pendens Canonem obligatus perſonaliter & in genere, qualis etiamſi ſpecies pereat, non liberatur. *l. 11. C. l. 5. ff. & ibi Bart. ſi cert. pet. Sichard. l. c. n. 26. vid. Roſenthal. de feud. c.9. concl. 50. n.13. & ibid. gl. lit. g. Gail. 1. obſ. 21. n. 18, 19. idem 2. obſ. 52.* colligi & inde poterit,

terit, quod tributa ſint onera fructuum: *l.7.§.2. l.52 ff. de Vſufr.* ideoq; juxta hos illa ſunt regulanda: quod ſecus in Emphyteuſi, ut diximus.

XLII. Et hactenus quidem de Conſentaneis, ſeu quando Jus Alluvionis locum habeat: ſequuntur nunc Diſſentanea, ſeu quandò locum non habeat? & primò Ratione cauſæ Efficientis quæritur, An in Fluminibus privatis, Jus alluvionis locum habeat? Negativam, quæ tùm textu, tùm ratione nititur, tuebimur. Textus eſt *in l.56. pr. verſ. Flumen iſtud. ff. de acquir. rer. dom.* Si enim, ut ex illo textu colligitur, quædam Flumina alluvionis Jus non habent, aut erunt Publica aut Privata, *per l.1. §.3 ff. de Flumin.* non Publica. *§.20. juncto. §.2. I. de R.D.* quod dubio caret: Ergò Privata: niſi fortè, quod *in d l.56.* dicitur; *Flumen ſi alluvionis Ius habet*, reſpectu agrorum dictum intelligamus, ut velle videtur *C.I.A.41. r. 26. n IV. pr.* Ratio, ex quâ id deducitur, hæc eſt, quòd ſuos ſemper terminos, pro lubitu Dominorum retineant, *jung. l. 12. ff. de A.R.D.* quamvis enim aqua recedat; ſolum tamen adhuc ejus manet; cujus anteà fuit. Bart. *tr. de flumin. v. Flumin.* nihil enim differt à cæteris locis privatis flumen privatum, ut ait J.Ctus *in l. 1. §. 4. in fin. ff. de flumin.* quod autem privata flumina vicino nihil adjicere poſſint, id Bart. *l.c.* intelligit & limitat; ſcilicet apponendo, id eſt addendò & augendo, ſupponendò tamen id fieri poſſe aſſerit: ſicut pinguedo agri ſuperioris adjicitur inferiori. *l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv.*

XLIII. Quid de lacubus & ſtagnis privatis dicemus? An & in his Jus alluvionis locum habebit? N. *l. 69. ff. de contrah. empt. l. 24. §. fin ff. de aqua pluv.* licet enim interdum creſcant, interdum exareſcant, ſeu (ut

ibidem legit Cujacius *ad* §.20. *in verb. præterea quod per alluvionem. I. de rer. div. arg. d. l. 24. §. fin. de aq. pluv.*) decreſcant, ſuos tamen terminos retinent, ideoque in his Jus alluvionis non agnoſcitur: *l.* 12. *ff. de A. R. D.* ex quâ cum C.J.A. 41.1.26.*n.V.* concludimus, quod quæcunque aquæ terminos ſuos retineant, in iis Jus alluvionis certum ſit, locum non habere.

XLIV. Ratione Formæ quæritur, an ſi Vis Fluminis partem aliquam, ex tuo prædio detraxerit, & meo attulerit, ea pars mihi acquiratur? Neg. ſed tua permanebit. *l.* 7. *§.* 2. *ff. de A. R. D. §* 21. *I. de R. D.* Idem ſtatutum in der Bayriſchen Lands-Ordnung *p.* 25. *his verbis*: Wo ein flieſſend Wäſſer jemand durch ein gantzen Waſen bricht/ unverändert deß Waſens/ und der Wurtzeln/ das ſoll unſchädlich ſeyn dem / deß der Boden geweſen iſt/ und ihme mit dem Eigenthumb bleiben; Wo aber das Waſſer jemands in Grießweiß gibt / und anſchütt/ ſolches ſoll/ dem es das Waſſer geben/ und Anſchütt hat/ zuſtehen: Vindicare igitur partem agri tui vi fluminis in meum agrum translatam, tamdiu poteris, donec coaluerit, & unitionem cum terra mea fecerit, quod ſi cum terrâ meâ illa pars fundi coaluerit, mea fiet. *l.* 9. *§.* 2. *ff. de damno inf.* nam coalitio & unitio eſt modus transferendi dominii. *l.* 26. *§.* 2. *de A. R. D.* quare propter dominium amiſſum non quidem vindicare, ſed tamen condicere eam te adhuc poſſe, ſtatuit C.J.A. 41.1.26, *n.* 2. *per l.* 4. *§. ult. ff. de reb. cred. ubi v. Goth. in not. lit. g.* Qualiter autem coalitio & unitio cognoſcatur ac probetur, tradit *ex gl. ad* §.20. *in v. longiori. I. de R. D. Schneidevin. ibid. num.* 3. 4. *& ibi VVeſemb. in not. lit. b.* ejuſmodi in re, ut in aliis agriculturam concernentibus eſſe ſtandum judicio ruſticorum, qui harum rerum peritiam habent. *arg.*

l. 12.

l.12.ff. de ſtatu hom. l.1.pr.ff. de ventre inſpic. c.ſignificaſti. 18. extr. de homicid. An injuratis? Aff. Weſ. *in not. ad Schneidevv. d.l. lit.a.* ſi non ut teſtes, ſed velut arbitri Juris ad hoc delecti teſtificentur, *per l. 9. C. de teſtib.* vel in ſuſceptione officii juraverint. Soçin. *de citation. art. 13. n.17.*

XLV. Ratione Materiæ Subjectivæ quæritur, An in agris limitatis in vermarckten Gründen/*Perneder. in Inſtit. Iur.* Deutſch. *ad §.20. I. de R. D.* Jus alluvionis locum habeat? Neg. *l. 16. ff. de A. R. D.* Limitata enim non augentur acceſſione. *c. ſuper. de Parochiis:* quod ut penitius intelligamus, prius videamus, quidnam ſint agri limitati, qui arcifiniis. de quibus ſupra, opponuntur? Dicebantur autem limitati agri, *ſecundum Feſt. lib.4.* qui propriis limitibus finibusq; circumſcripti, & in centurias diviſi erant. *Hotomannus* limitatum agrum definit, qui ab hoſtibus captus, vel coloniæ alicui totus, vel Civibus ipſis, ac militibus aſſignatus eſt: à limitibus nomen habet: Limites autem in agris limitatis ſunt, qui populo iter præbent ex lege Sempronia, Corneliâ & Juliâ, & ideò in modum agri non cedunt. *l. 7. §. 1. ff. de peric. & com. rei vend.* Et horum quidem duo Maximi dicuntur, Decumanus & Cardo: Duo minores, Actuarius & Subruncivus, *ut Plinius lib. 18. cap. 35. Feſt. lib. 4. Iſidor. lib. 15. Etymolog. cap. 14. Siculus Flaccus, & Hygenus tradunt: Decumanus eſt,* qui ab Oriente in Occidentem per transverſum dirigitur, ex eo ſic dictus, quod formā denarii numeri faciat, continet autem latitudinem pedum 40. *Cardo* eſt, qui à Septentrione in meridiem dirigitur, ex eo ſic dictus, quod à cardine cæli ſit, nam in Septentrionali axe nobis cælum vertitur: continet cardo latitudinem pedum 20. *Actuarius* limes eſt, qui primus

mus actus eſt, ab eo quintus quisq; , quem ſi numeres à primo, erit ſextus, quoniam quinque centurias ſex limites claudunt: latitudinem habent *Actuarii* pedum 12. *Subruncivi* 8. id eſt, legitimam Viæ latitudinem. *l. 8. ff. de ſerv. præd. ruſt. Hygen. lib. de limitib. conſtit. Gothofr. ad l. 16. ff. de acq. rer. dom. in not. lit. m. ex Cujac. 2. obſ. 9 pr. Borcholt. ad §. præterea. 20. I. de R. D.* His limitibus, quoniam diviſi ac circumſcripti ſunt agri limitati, adeoque ſuos ſtatutos terminos habent, certaq; menſurâ continentur, ideò Jus alluvionis in iis ceſſare *ſupra ex l. 16. ff. de A. R. D.* dictum fuit: Accedit & hæc ratio, cùm devictis hoſtibus, non rarò agri vel diſtribuerentur militibus. *v. l. 15. §. 2. & ibi Gothofr. in not. lit. b.* (Solebant, *inquit Julius Frontinus lib. de limit. agror.* Veteres, quos agros ab hoſtibus capiebant, alios Veteranis in præmia aſſignare, in alios colonias deducere, quosdam mancipibus in longum tempus locare, ut annuam mercedem Principi darent) vel diſtraherentur. *v. l. 11 & ibi Gothofr. in not. lit. r. ff. de evict.* imò etiam interdum Veteribus poſſeſſoribus relinquerentur (nec enim, *ait Sicul. Flaccus lib. de condition. agror.* omnibus perſonis victis ablati ſunt agri, nam quorundam dignitas aut gratia, aut amicitia Victorem Ducem movit, ut eis relinqueret) ex quibus quod ſupererat in publicum cedebat, idcircò neceſſarium fuit his Jus alluvionis denegari, ut ſciretur, quid cuiq; datum eſſet, quid veniſſet, quid in publico relictũ eſſet, *d. l. 16. in fin. ff. de A. R. D.* pro quo tamen *quid veteri poſſeſſori relictum eſſet*, argumento cujusdam Veteris Codicis, in quo ſcriptum erat, *quidve p. relictum eſſet* legit. Cujac. 2. *obſ. 9. citante Gothofr. ad d. l. 16. in not. lit. q.* de quo vid. utramq; lectionem nihil abſurditatis continere aſſerens *C. I. A. 4. I. 26. n. IV.*

XLVI.

XLVI. Deniq; ratione Contrariorum quæritur, utrum hodie alluvionis augmeutum, ob ſupremum Jus territoriale ad provinciæ Dominum pertineat? Diſtinguunt communiter inter incrementa præterita & futura, ita ut illa, ſi à privatis bona fidè poſſeſſa, & Jure præſcripta ſint, nec illa ipſa, nec eorum dominia Princeps auferre queat. *Regn. Sixt. 2. Conſil. Marpurg. conſ. 14. n. 120. Gædd. in conſ. de alluv. mar. n. 261. & ſeq.* Hæc autem ſi nimirum futura, aut hodiè nata ſint, jure auferre poſſint, cùm nondum Jus quæſitum, ſed adhuc quærendũ, quod incertum & in merâ ſpe poſitum habeant. *arg. l. 11. ff. de hered. vel act. vend. Parmenſ. 1. de Alluv. cap. 10. n. 3. Gryphiand. tr. de Inſul. cap. 11. n. 9. C. I. A. 41. 1. 26. n. VIII. Dn. D. Carpzov. in Juriſpr. forenſ. part. 3. conſt. 31. definit. 13. ubi etiam præjuditia quædam affert.*

XLVII. Pervenimus tandem ad Affinia, quæ ſunt 1. *Inſulæ* Nativitas. Eſt autem Inſula propriè ſic dicta. *v. C. I. A. 41. 1. 27. 28. n. 2.* terra aquis circumflua, ob ſpiritum eo loci erumpere non valentem enata, *ut ait Plin. lib. 2. c. 85.* quæ ſiquidem in mari enata fuerit, occupanti conceditur, ſi in flumine, ſiquidem in medio, communis eſt eorum, qui ab utraq; parte fluminis propè ripam prædia poſſident, pro modo latitudinis cujusq; prædii, quæ latitudo propè ripam ſit: quod ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt tantùm, qui ab ea parte propè ripam prædia poſſident. *l. 7. §. 3. ff. de A. R. D. §. 22. I. de R. D.* ſi tamen agrum, qui alvei non fuerat, amnis circumfluat, cauſa proprietatis non mutatur. *l. 30. §. 2. l. 7. §. 4. ff. de A. R. D. d. §. 22. I. de rer. div.* aliam Inſulæ ſpeciem *vid. in l. pen. §. 1. ff. de A. R. D.* Noſtro ſanè ſeculo in multis locis Inſulas in Flumine publico natas ad Dominos territoriorum, per quæ flumen fluit, pertinere, tradit *C. I. A.*

41. l. 28. num. X. ſive quod riparum dominium ad eos pertineat: ſive quod dominium territorii, quod totum territorium occupat, prævenire cauſam privatorum videatur, & ita inſulas territoriorum Dominis addicere. *add. Dn. D. Carpzov. loc. cit.*

XLVIII. Affinis etiam eſt alluvioni alvei mutatio: imò & alluvio alveum mutat, ſed latenter: idem tamen ferè *v. l. 3. § 2. ff. de aqua quotid.* Juris eſt in utroque, nam etſi naturali alveo (ſive naturaliter ſive artificialiter, id eſt, opere manu factu, *ut vult, probat, ad contraria reſpondet Mich. Nizolius allegat. 40. num. 10. cum ſeqq.*) in univerſum derelicto, ad aliam partem flumen fluere cœperit, prior alveus, propè ripam ejus prædia habentibus, tanquam pars toti, vel Acceſſio principali cedit. *§. 23. I. de rer. div. l. 7. §. 5. ff. de A. R. D. Hotoman. ad §. quod ſi naturali. 23. in verb. prior. quidem alveus eorum eſt. in fin. I. de R. D.* aliam rationem videre licet apud Dn. D. Ludvvel. *ad §. 22. I. de R. D.* novus autem alveus ejus Juris eſſe incipit, cujus & ipſum flumen, id eſt publicus Jurisgentium. *d. Ll.* quod ſecus in inundatione, hæc enim cum ſpeciem fundi non mutet, poſſeſſionem quidem *l. 1. §. 17. ff. de acq. poſſ.* ſi diuturna fuerit, *propter l. 30. § 3. & ibi Gothofr. in not. lit s. d. t.* & Uſumfructum. *l. 23. ff. quib. mod. Uſusf. amit.* impedit: quo minus tamē fundus dominio ſubjectus ſit, (licet actu & quoad exercitiū in dominio non ſit. *d. l. 23. quib. mod. Uſusfr am.*) non efficit, *l. 7. §. 4. ff. de acq. rer. dom. §. 24. I. de R. D.* De inundatione peculiari articulo in der Nürnbergiſchen Stadt-Ordnung *tit. 34. §. 2. Item* in dem Bayeriſchen Reformirten Landbuch *tit. 22.* Von Fiſcherey der Waſſer/ See vnd Weyer/ ſo ſie wider ihren gewöhnlichen Lauff auffſteigē/ vnd auff eines andern Grund außgehen. cavetur:

So

So flieſſend Waſſer/See/oder Weyer/wider ihren gewöhnlichen Lauff auff frembde Gründe außlauffen/alſo/daß die Herren oder Beſitzer derſelben Waſſer/mit Schifflein oder Fiſchzeug darauff frey fahren/vnd fiſchen mögen/ſo mögen alsdann die Herren derſelben Waſſer vnd Fiſcherey ſich der Fiſchen vnd Fiſchens dariñ gebrauchen: So bald ſie aber mit ihren Schifflein/vnd Fiſchzeug nicht mehr frey fahrẽ mögen/alsdañ mögen ſich die/deß die Gründ ſeind/der Fiſch/ſo darauff ſeind beſtanden/vnterſtehen/vnverhindert der Herren/dero die Waſſer/See oder Weyer ſeynd: Es ſoll auch dem Grundherren/nach dem verlauffen der Waſſergüß/vorbehalten ſeyn/ dieſelben ſeine Gründe widerumb einzufahen/ vnd zuverwahren/ſo fern vnd weit die Gräntz vnd Vermarckung ſeiner Gründ reicht vnd trifft.

XLIX. Affinis etiam alluvioni videtur occupatio, quæ *definiente Ampliſs. Dn. D. Rebhan. in Hodeget. Iur. chart. 2. clim. 2. paral. 1. th. 23.* eſt rei corporalis vacuæ, ſeu quæ planè nullius eſt, ita tamen naturâ comparata, ut alicujus eſſe poſſit, animo Domini facta apprehenſio. *l. 1. §. 1. de acq poſſ* quid autem differant colligere licet ex traditis ab eodem; *l. c. th. 22. in exeg.* Sunt & alia fortè Alluvioni Similia & Affinia, de quibus tamen ſingulis prolixius agere & inquirere, nec tempus, nec propoſiti ratio permittit: Cano igitur receptui, velaq; Diſſertationis meæ contraho, ne ulterius provectus, modũ emergendi invenire nequeã: Tui Candoris erit, *benigne Lector*, min' politè à me hîc prolata æqui bonique conſulere, & juxta illud EST qui non potuit dicere, dixit ERIT meliora ſperare; ad quę clementer ſuâ gratiâ favere velit, in cujus nomine Diſſertationis noſtræ fuit initium, medium, ſit finis, SACROSANCTA TRINITAS,

cui ſit

Laus, Honor & Gloria in ſempiterna ſecula.

A M E N.

Sic

SIc volo, ſic cupio, quamvis mea Muſa recuſet
Hic dare amicitiæ pignora certa meæ.
Nam licet ignotæ mihi nunc ſint carminis artes
Nec poſſim motu corda ciente loqui.
Attamen inſpirat faciles amor ipſe furores
Meq; docet carmen pangere mille modis.
O Amor, ô gratis qui torres viſcera flammis
O Amor, ô animi blande Tyranne mei!
Fac me non fictas in vanum ſpargere Laudes
Sed quas dilecto debet amica manus.
Pauca canam, ſed vera canam; maturior annis
In te, mi Barthi, *clara ſophia micat.*
Diverſa à teneris Muſarum caſtra ſecutus
Nunc geminô gremiô te fovet Alma Themis.
Incipe juridicas hodie depromere voces
Doctrinæq; tuæ publica ſigna dare
Sic dilectus eris patriæ, charusq; parenti
Si modo tu pergas quo pede carpis iter.

ita

Pereximio & magnæ ſpei Adoleſcenti Valentino Bart, *amici patris amico filio, commenſali jucundiſſimo applaudere volui & debui*

Philemon Fabri, Pariſinus.

F I N I S.